

CXXXII.

Anno 1418.

Transsumptum Davidis Laczk de Zantho, Regni Slavoniae Bani, anno 1418 factum, continensque: 1. Statutum Sigismundi Regis, anno 1414 Nobilibus Comitatum Crisiensis et Zagrabiensis exaratum, quo vi generalis Decreti toti Regno dati constituitur, ut solummodo tempore Generalium Congregationum in jus vocari possint. 2. Alterum ejusdem Regis, anno 1417 exaratum statutum, quo quantas Capitula in obeundis publicis muniis taxas exigere possint, constituitur. 3. Bullam a Benedicto XII. anno 1334. exaratam, et a Sigismundo Rege anno 1417. transsumptam, qua abusus circa suicidarum sepulturam tolluntur.

Nos David Laczk de Zantho, Regni Sclauonie Banus, Memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit vniuersis: Quod nobis feria secunda proxima post octauas festi beati Georgii martyris, vna cum regni Nobilibus pro faciendo moderatio Judicio causantibus in sede nostra Judiciaria sedentibus, Michael Litteratus filius Johannis dicti Kazmer de Rawen, vnus ex Judicibus Nobilium Comitatus Crisiensis, in nostram ueniendo presentiam quasdam tres litteras domini nostri Sigismundi, Dei gratia Romanorum ac Hungarie etc. Regis etc., vnam ad propriam commissionem eiusdem sub Imperiali, et secundam ad commissionem Baronum sub maiori, nec non tertiam sub mediocri sigillis eiusdem, super libertatibus dicti Regni Sclauonie omnino patenter emanatas, nobis demonstrauit, nosque series earundem coram vniuersitate nobilium dicti Comitatus Crisiensis suo modo perlegi et exponi fecissemus. Mox Egregius vir Emericus filius quondam Ladislai de Gordowa, alias dicti Regni Sclauonie bani, ... in sua ac Bartholomei et Ladislai fratrum suorum carnalium personis allegauit eo modo: Quomodo ipsi tenoribus dictarum trium litterarum regalium sumppe indigerent, petens nos suo et aliorum predictorum nominibus, vt tenorem earundem litterarum in litteras nostras transcribi facere ipsisque dare dignaremur, vberiori pro cautela. Quarum vnus tenor is est: Nos Sigismundus, Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungarie etc. Rex, Memorie commendantes tenore presentium significamus, quibus expedit vniuersis. Quod quamuis uigentibus in dicto regno nostro Hungarie quampluribus indebitis et illicitis artibus, per